



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 108. Cardinalis Vivariensis jussu Pontificis Constantiam profectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.  
A.C. 1414.

## §. CVII.

*Fædus Pontificis cum Friderico Austriae Duce.*

Pontifex magis adhuc suæ consulturus Gerard. de  
securitati cum Friderico Austriae Du-  
Roo. de reb.  
ce pacem iniit, eidemque justam timoris Austr. l.4.  
sui caussam exponens, illius auxilium im- c. 136.  
ploravit. Hic Pontifici pollicitus est, se  
illum Constantiæ apud omnes atque  
adversus quoscunque defensurum, eique,  
quando vellet, liberum ex urbe discessum,  
semper procuraturum, ea tamen lege, ut  
Joannes Duci quotannis sex aureorum  
millia numeraret, eique supremum exer-  
citus sui imperium committeret.

## §. CVIII.

*Cardinalis Vivariensis jussu Pontificis  
Constantiam profectus.*

Cunctis ita provide dispositis Pontifex,  
antequam ipsemet veniret, Joannem  
de Broniaco Ostiensem Episcopum, alias  
Cardinalem ab Episcopatus sui Urbe Vi-  
variensem dictum Constantiam præmit-  
tit, ut pro celebranda Synodo cuncta, quæ  
necessaria essent, cum Sigismundi Com-  
missariis atque Urbis Magistratibus dispo-  
neret. Venit Cardinalis mense Augu- Naucler  
Gener. 48.  
sto Constantiam. Hujus Viri natale fo- 1435.

B b 4

Iun

**Sæcul. XV.**

A.C. 1414.

Ium erat Brogniacum prope Annecium Sabaudiæ oppidum, Cambrium inter & Genevam situm; in primis ætatis suæ annis subulcum agebat, ad purpuram vero solo meritorum suorum suffragio ascendit; Illum Clemens VII Anno millesimo trecentesimo octogesimo tertio Cardinalem Presbyterum tit. S. Anastasii creavit, & Benedictus XIII. Anno supra millesimum trecentesimo nonagesimo octavo Ostiensi præfecit Ecclesiæ, cui Vice-Cancellarii S. R. E. dignitas annexa est. Cum autem hunc Pontificem a reddenda Ecclesiæ pace alienum esse perspiceret, cum aliis Cardinalibus ab eo discessit, atque ad Pisanum se contulit Concilium. Anno salutis millesimo quadringentesimo decimo ad Archiepiscopatum Arelatensem vocatus est, semper tamen Cardinalis Vivariensis appellabatur. Vacante sacra Sede ipse Concilio præfuit, ac postea Martinum V consecravit. Demum etiam Genevaensis Episcopatus administrationem, defuncto Joanne Curtacoxa, obtinuit.

## §. CIX.

*Papa Bononia Constantiam profecit.*

Tandem Pontifex, invitus licet, Constantiensi itineri se accingens, die prima Octobris Bononia discedit, nobili cœmitatu,